

76,497.

6668  
B: 69.

EXPERIMENTA NONNULLA  
DE  
VI ET EFFECTU KALII JODATI  
IN  
DIGESTIONEM ET NUTRITIONEM FELIUM.



DISSERTATIO INAUGURALIS  
QUAM  
SENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA DORPATENSI  
UT SUMMI  
IN  
MEDICINA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR  
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENSURUS

CONSCRIPSIT

**Julius Holtermann**  
OSILIENSIS.



---

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDVAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIENSI.

MDCCCLI.

1851  
1851

**Imprimatur**

haec dissertatio, ea conditione, ut simulac typis fuerit excusa,  
quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos  
constituto.

Dorpati Livon., die 1. mens. Mart. anni 1851.

*Dr. Betschert,*

ord. med. h. t. Decanus.



D17859

**PATRI OPTIMO**

**VITA MIMI CARIORI**

ET

**HERMANNO GLEMENZ**

LINGUÆ ROSSICÆ IN SEMINARIO PÆDAGOGICO DORPATENSIS  
PRÆCEPTORI

**FACTORI MAXIME BENEVOLO**

**PIO GRATOQUE ANIMO**

**FILIUS, LEVIR.**

## *Proœmium.*

**P**harmacologia, chemiæ face collustrata, novissimis decenniis valde commutata est novamque induit speciem; neque amplius nudus tantum index est remediorum, quæ morbis adhibeantur, sed jam ante omnia de quaestionibus agitur his: quid efficit medicamentum? quid commutatur in organismo? in quas formas ipsum abit, quale denique e corpore seceratur? a quibus, tanquam principio ac fonte, omnem remediorum cognitionem proficisci debere, jam inter homines doctos videtur constare. Multum tamen abest, ut tam accurate et diligenter ad eas responderi soleat, quam nos jure expectamus: sæpiissime repugnantia de eodem medicamento proferuntur, nam aut varia contra eadem mala aut contra diversos morbos eadem medicamenta suadentur. Jam vero si constat, in rerum natura semper eadem evenire eadem causa antecedente, quis non videt, fieri non posse, ut idem medicamentum eodem successu contra varios morbos adhibeatur, aut medicamentis, quorum naturam discrepat, morbi sanentur ejusdem generis? Quod quamquam nihilominus sæpius fieri traditur, nobis tamen persuasum est, aut remedia, quamvis videantur, non esse diversa, aut viribus quibusdam ignotis in organismo quasi vectibus in varias partes agitatis idem effici posse.

Chemiæ verò, quamquam nondum omnia contraria e medio tollere potuit, maximam tamen gratiam debemus, quod e medicinæ thesauro omni spe fallaci fugata, medicis osten-

derit, quae et natura et vis sit remediorum. Purgavit materiam medicam inutilibus et supervacaneis praeparatis olim nimis referatam, quae tanquam praesentia ad mortem remedia a laudatoribus praedicabantur, quorum alius aliud medicamentum commendabat, quae nostrae actatis materia medica auctoritate assumpta privavit et tanquam inefficacia ejecit. Erat enim certamen inter medicos, ineptissima et, quantum fieri potuit, terribilia medicamenta aegrotis praebere ac mysteria quaedam artis suae simulare; chemia vero vasa medicamentis, quae magis idonea erant ad mucoris perscrutationes microscopii ope instituendas, quam quae aegrotis darentur, liberavit.

Equidem non sine pavore opus tam difficile suscepi.

Elegi e copia medicamentum, quod nostra aetate jure plurimi aestimatur, et de quo, postquam in materia medica locum obtinuit, magna exorta est dissensio. Ceterum id tantum exploraturus sum, quid Kalium jodatatum valeat ad digestionem et nutritionem, num minuatur necne?—quomodo in corpore mutetur, num et quale in excrementis reperiatur, id aliis quaerendum relinquo.

Doctori *Buchheimio*, professori illust. ac humanissimo, cujus hortatu hanc materiam perscrutandam elegi, non possum, quin etiam publice, non quoniam moris est, sed ex animo gratias agam quam maximas pro humanitate et indulgentia, quas in me, rudi et tirone in medicina, adjuvando probavit.

Te, lector benevole, rogo, ut in iudicando hoc libello magis humanitatem ac indulgentiam adhibeas, quam rigorem et severitatem. Nam tua tantum venia fretus, hoc quantumcumque opusculum publici feci juris! Valeas!



## Caput I.

### Brevis Jodii ejusque praeparatorum historiae adumbratio<sup>1)</sup>.

**H**istoria hujus medicamenti a medio aevo repetenda est: prima usus ejus vestigia saeculo tertio decimo deprehendimus; memoratum invenimus nomen viri, qui jam tum strumam spongia marina usta curabat: *Arnaldus Villanovanus*<sup>2)</sup>.

Videmus igitur, etiam priorum saeculorum medicos virtutes quidem spongiae marinae novisse, sed quae materia ejus efficax sit non satis intellexisse. Utebantur ea, experientia edocti, quod eximiam ejus in morbis sanandis vim animadverterant. Nec medici tantum, sed etiam vulgus hanc aliasque similes materias tanquam remedia praesentia huic vel similibus morbis adhibebant, quo factum est, ut paullatim vulgari usu reciperentur.

Sic Columbiae incolae remediis utebantur, cui nomen indiderant oleum salis, et quod ex nihilo alio, nisi e lixivio quarundam salinarum, imprimis *Guaca* fontis, constabat. In aliis Americae regionibus, in quibus etiam struma laborabant, laminariam usurpabant, alii quosdam hujus plantae particulas, quas palo Coto appellant, mandebant, uti nostra aetate nautae herbam Nicotianae manducare solent. Similiter algas contra pituitae obstructionem nimiamque variorum organorum expletionem communi usu receptas videmus. Recentissima aetate *A. Chatin*<sup>3)</sup> in multis herbis Jodium cum Alkali ligatum detexit, velut in Nasturt. officinal: *Acoro*

1) Gazette médicale, Nr. 46, année 1840, pag. 139. Jodogénosie ou monographie chimique pharmaceutique et médicale des Jodiques par Dorvault.

2) Arnaldi Villanovani opera omnia Basilii 1585, p. 1190.

3) Journal für praktische Chemie von O. L. Erdmann und R. F. Marchand. Nr. 13 und 14. 1850.

Calamo; Phellandr. aquatico, Gratiola etc. eique vim salutarem vindicat. *Bussy* \*) Jodium in lithanthraci inesse ostendit. *Dr. Morgan Bonet*, professor chemiae in Universitate Ovetana nuper nos edocuit, Asturiae incolae fuci palmati cataplasma et decocta innumeris morbis adhibere.

In regionibus septentrionalibus jam antiquissimis temporibus oleum Jecoris Aselli in usu fuisse scimus. In libris sacris legimus *Aswad* Sarae, *Raguelis* filiae, septem maritos neqasse, donec *Tobias* juvenis eum fumo olei jecoris piscis alicujus expelleret <sup>b)</sup>. *Hippocrates* oleum Rajae, multis hystericis morbis adhibitum esse tradit ejusque suffitum commendat. *Plinius* delphini oleum eodem modo contra syncopen hystericam usurpari idque e tosto jecinore parari dicit. Jecore complurium piscium e Labrinorum familia, velut *Labri* et *Secari* prioribus sacculis magna cum utilitate in Parotitide medenda utebantur. *Dr. Percival* et *Bardoley* oleum. Gadi *Morhuae* in Lancashire <sup>c)</sup> in rheumatismis curandis magui aestimari referunt. In Scotia oleum Rajae jam antiquitas in Rhachitide sananda usitatum est. In regionibus quoque Rheno adjacentibus (taque Germania inter septentriones et solis accasum sita oleum jecoris vulgare remedium est; in Westphalia Arthritis eo sanatur. Hoc igitur remedium in tot regionibus usitatum ac praedicatum, quum etiam a viris doctis laudari coeptum esset et medici vim ejus praeter expectationem eximiam esse animadvertèrent, materia medica *Ol. Jecoris Aselli* anno 1790 in thesaurum suum recepit, ex quo fieri non potuit, quin, sicut omnia recentia remedia, virtutes exhiberet quam splendidissimas <sup>d)</sup>. Oleum Jecoris Aselli silentio praeterrere non poteram, quoniam Jodii praesentiae, non pinguitudini olei viri docti efficientiam ejus tribuebant. At recentior Chemia subtilissimae analysis et reagentium ope Jodii aut nihil aut sane mini-

nam partem in eo reperire potuit. Cujus si vim sanandi deprehendere velimus, oleum J. A. per plures annos sumi oportet atque etiam tum quaerere licet: quid Jodium, quid pingue oleum fecerit? Hoc oleum usurpat, quoties majorem adipis copiam corpori ingerere volumus, laudi ei tribuitur, quod facilius ac melius, quam reliqua olea, et ex animalibus, et e plantis nacta, toleratur. Experimentis ducentis et quinquaginta *Duncannio* et *Nunnio* <sup>e)</sup> cognitum est oleum Amygdalar. dulcium cum oleo aether: mixtum eodem successu atque oleum Jecor. Aselli adhiberi: hoc vero in omnia reliqua olea cadit. Unde sequitur, non Jodium illud anceps, sed adipem per sese in *Ol. Jecor. Aselli* efficacem esse.

Aquae fossilis jam dudum nota est vis salutaris. Jam *Arnaldus Villanovanus* salinariam aquam Scropulis adhibuit. Sed cave, ne salsarem aquarum, Jodium vel Bromium continentium, virtutem salutarem uni Jodio vindices, cujus quasi homeopathica dosis adest, sed etiam ceteris earum elementis aliquid tribuendum est.

Jodio anno 1811 a *Courtois* detecto chemisque novo corpore aucta, fieri non potuit, quin medicina eo potiretur.

*Dr. Coindet*, Genevensis, Jodio in materiam medicam introducto, effecit, ut quamdiu id tanti haberetur, ac medicis saepe tanquam refugium ultimum videbatur, tandem etiam nominis sui memoria mansura sit. Viderat is in *Russellis* medici illustris medicamentorum formulis, prospere hunc quoddam praeparatum, Aethiopen vegetabilem nuncupatum, aliudque, nomine pulveris *Quercus marinae*, e fucco vesiculoso tosto confecta, Strumae adhibuisse. Idem *Arnaldium Villanovanum* strumam spongia marina curasse memorat. Jodio detecto *Dr. Coindet* etiam in illis duobus praeparatis solum Jod. efficax esse conjectavit, quae opinio anno 1819 a *Fife*, qui Jodium in iis reperit, comprobata est. Aethiops vegetabilis, remedium jam obsoletum, calcinatione parabat variorum fucorum, imprimis fuci vesiculosi, ex quo etiam pulvis *Quercus marinae* gignebatur; idem igitur aet utrumque remedium. *Dr. Coindet*, Jodina adhibita Strumam praeter expectationem celeriter ac certo evanes-

4) Dinglers polytechnisches Journal. Bd. CXVI, Heft 6. 1850.

5) Buch Tobias, caput 6 und 8.

6) Repertorium chirurgischer und medicinischer Abhandlungen. Leipzig 1792, Abth. III, Bd. I.

7) Hufeland's Journal December 1822 und Februar 1839.

8) Schmidt's Jahrbücher 1850. Bd. 66, p. 300.

cere vidit. Iteratis etiam in Scrophulosis periculis vim ejus ubique salutarem admirabatur. Anno 1820, quae exploraverat, societati Helvetiae naturam perscrutanti proposuit Jodiumque remedium ad Strumam et Scrophulas specificum vocavit. Quae quum divulgarentur, totam Europam incendebant honestumque inter medicos certamen exortum est. Omnia studia circa hoc unum centrum collocabantur: periculis maxime variis factis, alii Jodium certissimum ad cunctos morbos medicamentum esse arbitrati sunt, alii usum ejus certis finibus coarctarunt, alii denique virtutem ei vel omnino derogarunt vel etiam contrariam esse contenderunt, noxam ex abusu ejus plus semel captam esse clamitantes. Quod sane omnibus praesentaneis medicamentis accidere solet, ut duae sectae existant, et eorum, qui in laudando, et qui in obtrahendo nimii sunt, quod idem Opio, Antimonialibus acidisque videmus. Attamen hoc certamine effectum est, quod adversarii Jodii minime expectaverant, ut virtutes ejus accuratius cognoscerentur usque propagaretur. Dissensio vero ad nostram actatem pervenit, necdum pharmacologis aliquid certi explorare contigit.

Qui Jodii et Kalii iodati effectum accuratius examinaturus est, eum memore esse oportet, remedia haec, quod ad localem effectum attinet, valde discrepare, neque effectus eorum, quod saepius factum est, confundi posse. Quicumque de morbis, et ab aliis, et a se observatis, retulerunt, virtutem quidem Jodii assatim solent praedicare, sed ne verbo quidem attingunt, num purum Jodium an Kalium iodatum, qua conditione, quali aegrotorum natura, qua diacta adhibitum sit: effectuum tantum turbam afferunt. Legimus „Jodium“ mirum, quam cito morbum fugasse. Quod autem Jodium esse volunt? utrum purum an Kalium iodatum? frustra id quaerimus, nihil respondent medici. Unde pharmacologo incredibilis difficultas oritur, quam distinguere vult, quae vis Jodio, quae Kalio iodato tribuenda sit. Verum non modo in antiquioris, sed etiam recentissimae aetatis observationibus talia invenimus, velut in *Oesterlenii* pharmacologia<sup>9)</sup> „Oertlich wirken Jod und seine Präparate“ vel „gelangen

Jod und seine Präparate“ etc. Ex quo apparet, hunc virum, ceterum optime de materia medica meritum, Jodii et Kalii iodati effectus locales non certis finibus sejunxisse, sed eosdem habuisse, quod nullo modo statui potest. Eadem pagina de morbo quodam (Jodismo) disserit, in dubio autem relinquit, num puro Jodio sumto, an Kalio iodato, oriatur.

Purum Jodium, siquidem de locali effectu quaeritur, irritandi vim habet. Superficiæ cutis, quum admovetur, croceum colorem inducit, eamque pungit ac urit; cutis rubescit et inflammatur, accedit exsudatio atque epidermis detritur, quod inprimis Tinct. Jodinae adhibita animadvertitur. In gasum quum abii, Jodium eadem fere atque Chlorum symptomata excitat: in respirandi organis tusses vehementes irritantur, ardoris sensus, Spasmus glottidis, etiam Bronchitis nascuntur. Ex oculis uberior lacrymarum copia secerunt, item e naribus pituitae (Coryza et Ophthalmia jodica), quod irritatis membranis efficitur. De his quidem effectibus topicis postremum memoratis viri docti dissentiunt, *Chevallier* et *Lugol* se eos vidisse referunt, dum *Raspail* et *Baudeloque* aut omnino nulla, aut saltem non eodem gradu symptomata illa prodi contendent.

In ventriculum Jodio demisso, parvis saltem dosibus, effectus singularis non animadvertitur; functiones tractus intestin: turbari non videntur, appetitus secundum *Coindet*<sup>10)</sup> et *Lugol*<sup>11)</sup> augetur, pulsus arteriae frequentior est. Per magna tractus intestini irritabilitate quotidianae alvi dejectiones crebriores evadere dicuntur, alii contrarium referunt: irritatis enim Jodio secretionis organis, copia eorum, quae seceruntur, aucta videtur. *Lugol* diureticam Jodii vim laudat, quam *Coindet* negat, quocum *Pereira* consentit; expectorationem et diaphoresin *De Carro* augsere refert. Mirum in modum nonnunquam fit, ut parvis Jodii dosibus hypertrophiae et indurationes quorundam organorum, etiam ipsa simul normalia organa, inprimis testes et mammae interdum vaneant, quod sae-

10) Biblioth. univers. Tom. XIV. Scienc. et Arts.

11) Mémoire sur l'emploi de l'Iode et des bains iodurés dans les maladies scrofuleuses.

9) Handbuch der Heilmittellehre von Dr. F. Oesterlen. 3. Auflage. Tübingen 1850, pag. 267.

pius puro Jodio, quam Kalio iodato fieri traditur. *Pereira et Magendie* neutrum symptoma observarunt.

Jodium, parvis quidem dosibus, sed per longius temporis spatium adhibitum locali effectu digestionis ac nutritioni officit, quod negatur a *Lugol*, qui contra obesitatem evadere dicit. Simul cum tubi intestinalis symptomatis cerebrospinalis quoque systematis functiones interpellari videntur, quod patet ex anxietate, palpitatione cordis, agrypnia, cephalaea, auditu visque hebetatis, interdum etiam stupore, quem statum *Lugol* vocat „*ivresse jodique*“. Praecipue cutem Jodina afficere videtur, cui interdum fusciores inducit colorem; aequae capilli fusci fiunt; deinde cutis eruptiones evadunt, velut Prurigo, Eczema, et alia.

Continuatus ejus usus tandem Jodismum, qui dicitur, gignit. Tum et topicorum et constitutionalium effectuum symptomata existunt. Aegroti de molestis et dolore moventibus sensationibus in faucibus et circa stomachum queruntur, de vomitu, alvi purgatione, spasmo, cordis palpitatione, visus defectione, stupore, quae postremum morte finiuntur.

Permagnae Jodinae doses idem, quod venenum praecipue valent, cujus quidem vis ab eorum, quae ventriculum continet, et quantitate et qualitate pendet. Postremo Gastroenteritidis symptomata apparent, cui tandem mors succedit. *Zinkius* exempla afert. Illa symptomata haec sunt: crebra vomituritio, vomitus, alvi dejectiones, vehementes hypogastrii dolores, cordis palpitatione, Dyspnoea, denique mors. Licet pro explorato habere, purum Jodium validius esse Kalio iodato, quod majore dosi praebere potest, quam illud. In hoc quidem indagando *Ricordius* multum versatus est.

Cuti externae admodum interdum facit, ut subrubescat. Ingestum pariter ac Kalium bromatum et chloratum tubum intestinale irritat, hyperaemiam elicit, cui alvi dejectiones succedere solent. Alia quoque exstant symptomata, nausea, vomitus, aestus ac circa stomachum dolor, qui nonnumquam magna est acerbitate, pressu vero non augetur, unde probabile est sola gastralgia eum commoveri; accidit tamen interdum, ut inflammatio subsequatur. Excretiones et secretiones organorum varie auferuntur; renum actionem saepe inten-

tam, aliam imminutam videmus. *Ryanius* in aegrotis, quos curabat, alvi dejectiones, *Dietrichius*, *Mouacensis*, initio morbi plus semel alvum astrictam, quam diarrhoea excipiebat, observarunt. *Christison* et *Osbrej* auctam bilis secretionem addunt, ambitum jecoris antea tumidi imminui referunt. Concoctio intenditur, appetitus crescit, uti *Röser*<sup>12)</sup> quidem vult; in universum convalescere et augescere corpus videtur. Ex his quidem totum organismum excitari apparet, quod experimentis a *Dietrichio* in se ipso de Kalio iodato institutis refutari videtur. Is per tres hebdomadas doses Kalii iodati a gran. IX usque ad grana XXXII auctas quotidie sumserat. Effectus hos reperit: membranam Schneiderianam irritat, coryzam, et pituitae uberiores secretionem facit, in cute eruptionem papulosam cum Prurigo atque ureidine vehementibus elicit; ceterum neque appetitus, neque vires corporis auferuntur. Animi hilaritatem, quam alii experti erant, ille in sese desideravit, sed gravi cum erectionibus ac pollutionibus somno opprimebatur. *Dr. Thomson* post majores Kalii iodati doses coryzam oriri oculosque inflammari vidit, ad quae exanthema erysipelatosum per totum corpus diffusum nonnumquam accedebat, interdum salivatio succedebat, tetro odore ex ore non emisso. *Magendie* quotidie ʒj Kalii iodati, pluribus dosibus, *Buchanan* ʒj, quae ad ʒij etiam ad ʒʒ auxit, uno haustu devoranda dedit. Quorum neuter unquam malos affectus, neque uberiores alvi evacuationes vidit. *Clendinning* et *Wallace* referunt, aegrotos Kalio iodato sumto de vehementibus capitis doloribus, anxietate et angore quositos esse, quae symptomata nervorum systematis affectionem quandam significant. Alii Kalio iodato organismum deprimi putant, concoctionem languescere, nervos irritari, pulsus arteriae tardiores fieri, corpus totum macerare etc. Hypertrophiae et indurationes singulorum organorum evanescent.

Remotiores Jodinae ejusque praeparatorum effectus iidem sunt. Purum Jodium in sanguine nisi mutatum permanere non potest, cum Kalio enim et Natrio miscetur, qua deum conjunctione inita eosdem atque Kalium iodatum effectus constitutionales exhibet.

12) Archiv für physiologische Med., 7. Jahrgang, 1. Heft, Seite 74. 1848.

Kalium jodatam vero in sanguine non mutari experimentis probatum est. Nam in his et sanguinis elementa et integrum Kalium jodatam segregata reperiebantur, unde Kalium jodatam integrum et in sanguine permanere et e corpore secerni, colligi potest. *Dr. Scharlau Stetinensis* <sup>13)</sup> in urina hominis, qui quotidie 350 centigr. Kal. jodat. acceperat, 345 centigr. reperit; 5 centigr. cum aliis secretis abierant. *Dr. Kramer* in se ipso observavit, sex dies sufficere, quibus Kalium jodatam per 50 dies receptum e corpore secerantur; sub finem illius temporis 385 grammat. urinae minus, quam  $\frac{2000}{1000}$  grammat. kalii jodati continebant; ceterum non solum renum secretionibus e corpore exit. Matri lactanti praebitum in lacte ejus, etiam in urina infantis, nec non in saliva reperitur, a *Wallacio* in lacrimis aegrotorum agnuitur est. Quam cito in urinam transcat, varie referunt. *Dr. Marschall, Calvius*, ex experimentis a *Val de-Grâce* institutis sibi persuasit, Kalium jodatam post 25, aut 30 minutas, nec serius, quam post unam horam adesse; secundum alios post 70 minutas, secundum *Dietrichium* duobus post diebus; alii post 4 aut 5 minutas in urina repperunt. Certum igitur tempus, quo Kalium jodatam in secretionibus appareat, statui non potest, constat tamen, non multo, postquam sumtum est, nonnunquam deprehensum esse.

Quam igitur rationem medicus in praxi sequetur? Quomodo ex his contrariis vera enucleabit? Quid de Kal. jodat. censebit, prorsus a materia medica destitutus, quae pro unitis remedii effectibus mixtam utriusque effectuum colluviem quandam in medium profert? Jam supra nobis memoratum, falsas illas ac mendosas observationes inde ortas esse, quod duo remedia, quorum natura quam maxime differt, in pharmacologiae systemate non se juncta observata essent. Olim observatores experimentis colligere sibi posse videbantur: quoniam Kal. jodat., quum in sanguinem transierit, idem, quod purum Jodium, efficiat, necesse esse, utriusque etiam locales effectus non discrepare. Hic error omnibus de pharmacologia libris propagabatur, in omnibus auditoriis gnauiter docebatur ac defendebatur, ut ne in

mentem quidem cuiquam veniret, peculiaria ad Kal. jodat. examinandum experimenta instituire. Recentiori demum et recentissimae aetati datum est, ut mendosa illa, quae de Kalio jodato proferre solebant, exentiat ac corrigat, quod fieri non potest, nisi de utroque remedio sigillatim quaeratur. Accedit, quod multi medici, *Lugolio* auctore, in medicamentorum formulis Jodium simul cum Kal. jodat. praescribunt, ita ut utriusque effectus se invicem expleant. Quid igitur est, quod miremur, quod illius remedii naturam nondum satis cognitam habemus, quod de discrimine localium effectuum illorum remediorum nihil fere scimus? E periculis infra asserendis patebit, illos seruatotes id egisse, non ut salubrem, sed ut toxicologicam Kalii jodati vim cognoscerent. Primum quod quaerendum erat, quemadmodum, quaecumque ad nutritionem pertinent, in organismo animalium efficiantur, omnino negligebatur, quamquam, nisi hoc explorato, quid inter utrumque remedium intersit, assequi non possumus.

Hoc igitur adhuc usque omnino neglectum exploraturus, equidem rationem adhibui a reliquorum seruatorum prorsus abhorréntem. Illi in cunctos effectus promiscue inquirebant, ego de digestionem tantum ac nutritionem quaesiturus sum, utrum longuescant an invalescant.



13) Casper's Wochenschrift 1842, Nr. 27, 7

## Caput II.

### Experimenta nonnulla de Kalio iodato ab aliis instituta

Antequam de meis referam experimentis, nonnulla aliorum observatorum enumerabo. Orfila<sup>14)</sup> haec experimenta fecit. Kalii iodati in aqua soluti viginti centigr. cani alicui in venam jugularem extern: injectit. Canis illico clamorem edidit, musculi ei vehementer contracti sunt, urinae et alvi evacuationes successerunt. Paucis post secundis stupefactus corruit; in ore saliva spumosa apparuit, in superficie linguae ex ore demissae musculorum fibrarum motus, per aliquot secundas oscillantes, animadversi sunt. Post paucas minutas animam edidit. Quaternis aut octonis grammat. Kal. iodat. in ventriculum immissis canes vehementer vomituriebant, mox, aut partem quandam, aut omne venenum edebant; tum vomiturire cessantes in defatigationem et languorem incidebant, quae ad mortem augecebant, postremum in plenum collapsum transibant. In cadavere, inter tunicam mucosam et muscularem, status, aliqua ex parte emphysematicus, ventriculi membrana mucosa sublevata reperiebatur; hic illic crebri tumores, rossi coloris, basi lata, crepitantes conspiciantur, qui liquorem aëre circumdatum, ac specie et consistentia infantis pulmonibus similem, continebant.

Dr. Mallet Kal. iodat., potioni admixtum, causticum validum esse reperit. Cani 3j2, eqno 3ij—ijj 10—15 minutis omnia mineralium causticorum symptomata movebant; abdomen vehementer contrahebatur, vomitus non eveniebat. Auctis tertia parte dosibus, bestiae Haemorrhagiis gastricis moriebantur. In urina, et inter symptomata illa emissa, et post mortem effusa, Kal. iodat. reperiebatur. In sanguine ex arteria renali effuso deprehendi non poterat<sup>15)</sup>.

Devergie<sup>16)</sup> etiam in canibus experimenta fecit. Quaternis Kal. iodat. granis in venam jugul. ext. injectis, canem post minutam inter convulsiones pereuntem videbat. Drachmae binæ in ventriculum demissae vehementem vomitum movebant, quo bestia eximie deprimebatur, qui status ad mortem tertio die eventientem ingravescebat. In cadavere ventriculi tunicam mucosam valde rubram, Echymosas exulcerationes inveniebat.

Cogswell<sup>17)</sup> 3jij kalii iodat. cani alicui subter cutem dorsalem injectit. Bestia tertio die perit. Disquisitione chemica Kal. iodat. in sanguine cordis, in cerebro, in medulla spinali, in jeecore, in splene, in ventriculo, in vesica urinaria repertum est.

16) Médecine légale. Tom. II, pag. 536.

17) Experimental essay on Iodine. Edinb. 1837.



14) Traité de Toxicologie Tom. I 1843, pag. 71.

15) Journal d. Chemie med. 2 Ser. II, Tom. pag. 543,

amplius minuebatur. Faeces similiter tractabantur, praeterquam quod in fornace remanebant, dum pondus non amplius minuebatur. E hisce duabus portionibus totum residuum et urinae et faecium computabatur.

### Caput III.

#### Experimenta a me instituta.

Ego in felibus pericula institui. Cognituro mihi, concoctio an nutritio num decreascent an increascent, series quaedam experimentorum praesto esso debebat, e quibus, quae integra valetudine justa eorum ratio sit, colligi poterat. Animum ad quatuor res attendi, quasi cardines totius quaestionis, quae sunt hae:

- a) pondus felis,
- b) urinae per 24 horas copia,
- c) faeces,
- d) acidi carbonici copia, certo temporis spatio exspirati.

Bestia in cavea continebatur, infra accuratius describenda et quae simul periculis de respiratione faciendis inserviebat.

Bestiae nihil nisi caro bubula cruda, omni adipe semoto, praebebatur. Secundum Dr. *Schmidtii*, professoris illustr., observationes 50 grammat. carnis sufficiunt millenis grammatis felis. Plurimum quum interesset, ut pondus felis sibi constaret nec cibi exiguitate imminueretur, portioni illi, quae nimis exigua videbatur, paululum additum est. Quae portio quotidie semel, finitis de respiratione periculis, feli offerebatur, inter singula pericula spatio 18—24 horarum interjecto.

Copia urinae per 24 horas emissae ante et inter Kal. jodat. usum eodem modo definebatur. Urina in fundo caveae per foramen fluebat in vas vitreum, ejus pondus notum erat; vase cum urina pensatis, de hac aliquantulum in patellam fundebatur, quae et ipsa cum urina trutina examinata, in fornace collocabatur, in quo manebat, donec omnis humor evaporatus erat. Quam e fornace subter campanulam antliae pneumaticae ponebam, e qua saepius singulis diebus aer exhauriebatur; manebat sub hac donec pondus non

#### Experimentum primum.

Feles A., pinguis firmaque corporis constitutione, 20. die mensis Novembris, quo primum ad pericula adhibita est, pondus habebat 3354,76 grammat. Tribus primis diebus Kalii jodati ei nihil, sed carnis tantum bubulae 200 gramm. dabatur. Per hoc tempus alacris erat, carnem avide devorabat nec carcerem moleste ferre videbatur. Kalium jodatium in pilulis conglobabatur, singula cum quadrante grana continentes, quae dose, quod infra explicabimus, nimia erat, quare pilulae pondere gr<sup>8</sup> Kalii jodat. conficiebantur. Die Novembris 24. primum ei Kal. jodat. ejusque una pilula gran. 1½ data est, 25. his in die. Postero die effectus Kal. jodat. apparuerunt: valetudine affecta esse videbatur. Nam, dum valebat, magna cum aviditate carnem propositam arripuerat, jam non tetigit, sed aliquot demum post horis voravit. Ceterum morosa erat, saeviebat omnique modo e cavea se liberare conabatur. Quae symptomata, quia nimiae dosi tribui debebant, 27. die, ut organismo tempus ad requiescendum daretur, Kal. jodat. nihil praebitum est. Die Novembr. 28., quum symptomata illa supra memorata remisissent, primum ei gr<sup>8</sup> semel datum est. Post hanc dosin singulares effectus non apparuerunt, quare die 29. granum dimidium additum est. Quo facto omnia symptomata illa etiam vehementiora evaserunt; appetitus paene nullus erat, de 200 grammat. carnis feles per 24 horas nonnisi 71 grammat. vesciebatur; omnibus motibus majorem sollicitationem probebat, perpetuus edebat clamores. Abdomine violentius compresso, dolores moveri non videbantur. Ipse vomitus nondum intercesserat, sed vomituritio tantum ac sputum perpetua. Faeces quoque justa erant soliditate. Renum actio neque adaueta, neque imminuta erat, item arteriae pulsus sibi constabat. Vespere primi Decembris diei multa evomuit, per quae sanguineae lineae trahebantur. Ad hunc diem feles quum nihil edisset, pondus

ejus a 3351,76 grammat. ad 3048,352 gramm. ceciderat. Secundo Decembr. die, quoniam hac parva Kal. jodat. dosi tam affecta erat, non amplius ad pericula adhibita; sed, e carcere liberata est. Tabulae subsequentes urinae et faecium per hoc tempus collectarum copiam exhibent.

*Tabula faecium felis A.*

Mensis.	Dies.	Faecium copia.	Faecium portio.	Residuum siccum.	Residuum omne.	Numerus medius.	Pro millenis grammat. felis.
Novbr.	25.	23,029	2,056	1,186	13,284	> 3,793	1,157
	26.	8,345	0,933	0,372	3,331		
	27.	8,345	0,933	0,372	3,331		
	28.	3,615	0,269	0,089	1,652		
	29.	3,615	0,269	0,089	1,652		
	30.	3,615	0,269	0,089	1,652		
Decbr.	1.	3,615	0,269	0,089	1,652		

*Tabula urinae a fele A. per 24 horas redditae.*

Mensis.	Dies.	Urinae copia.	Urinae portio.	Residuum siccum.	Residuum omne.	Numerus medius.	Pro millenis grammat. felis.
Novbr.	21.	184,189	11,010	1,197	20,024	> 14,006	4,183
	22.	124,702	13,247	2,473	23,204		
	23.	87,689	17,050	1,880	9,448		
	24.	122,689	12,328	1,517	15,098		
	25.	82,742	14,596	1,465	8,304		
	26.	65,578	7,798	0,947	7,963		
	27.	119,937	10,516	1,202	13,709		
	28.	60,008	8,692	0,665	4,593		
	29.	160,992	10,067	1,390	22,281		
	30.	98,579	10,261	0,666	6,398		
Decbr.	1.	63,019	6,890	0,380	7,591	> 10,914	3,351

*Quid colligatur e primo experimento.*

Ex iis, quae supra cognita sunt, Kal. jodat. permagnam vim habere in animalium organismum, optimo jure colligere licet. Quod feles nimis eo afficiebantur, continuare pericula non potui. Ex omnibus, quae eveniebant, velut vomituritu, vomitu, quod appetitus cibi omnino deerat, probabile fit, doses paulo uberiores, velut gr. β ter in singulos dies, effecturas esse, ut digestio prorsus debilitata jaceat. Sanguinis vestigia in evomitis reperta e crebro vomituritu ipsoque vomitu profecta esse videntur neque ex iis, interiori ventriculum laesum esse, conjicere licet. Ponsus felis his 11 diebus aliquanto attenuatum sic explicari potest; secretiones quotidianae non interpellantur; auferitur quidem e corpore tantundem atque integrae valetudinis diebus, nihilo autem compensatur, quo organismus conservetur; non igitur ipso Kalio jodato, sed quasi commeatu non suppeditante, pondus minuitur. Nam, si ita non esset, excretiones per cutem, pulmones et renes adaugeri debebant, nos vero ex contrario languidiorem postremis diebus renum actionem factam esse videmus, quod nisi totius organismi valetudine explicari non potest. Denique memoratu dignum est, alvi dejectionem, in ceteris felibus nunquam non observatam, in hoc quidem periculo desiderari.

*Experimentum secundum.*

Felis B., qui experimentis destinatus est, catulus, nigro colore, summa alacritate, robustus ac pinguis erat. Ponsus ejus die, quo in cavea inclausus est, grammatum erat 3473, is quoque carne, portionibus 200 grammatum in singulos dies distribuitis, pascebatur. Appetitus egregius erat; secretiones et excretiones bene procedebant. Carcerem sibi molestum esse motibus tumultuosissis significat frustra-que ex eo effugere molitur. Die Decemb. 11., quarto, postquam inclausus est, prima ei Kalii jodat. dosis semel data est; 12. et 13. bis in die pilulam, gr. β continentem, accepit. Per hos tres dies nihil extra ordinem evenit; appetitus bonus, alvi evacuatio normalis, urinae copia ordinaria fuit. Die Decemb. 15. gr. β Kalii jodat. ter in die accepit; 16. rursus ter in die; attamen jam tum languor

quidam cibiq̄ aviditas minor apparuit. Die Decemb. 17. prima hora continuo vomituriebat ac vomebat. Evomita e carne non cocta, pituita et spuma, sanguinis lineis intermixtis, constabant. A 9. ad 2. horam pomeridianam carnem non tetigit, cujus vespere deum exiguam 40 grammat. portionem comederat. Die Decemb. 18. reliquam carnem nondum consumerat, et aversabatur, quoties ei offerebatur. Hodie quoque continuus vomituritus ac vomitus; ceterum eundem vultum et habitum intrepidum ostendit et, simulac occasio data est, e carcere effugere conatur. 19. primi effectus locales in tubum intestinalem animadversi sunt; alvi evacuaciones crebriores fiebant et prorsus fluidae, livido ravoque colore erant, odoremque edebant terribinum. Appetitus omnino deest, arteriae pulsus paulo frequentior, abdomen non dolens. Kalium iodatum non amplius ingestum est. Hic status per nonullos dies durabat, dum appetitus paulatim rediit, fluidae faeces solidiores factae sunt, vomituritio vomitusque remiserunt. Die 26. pondus in 2756 grammat. ceciderat. Die 27. carnem propositam omnem comedit.

Exploraturus, quo jure materia medica doceat, salia natrica in universum, quod ad effectum attinet, leniora esse salibus kalicis, ad experimenta adhibui natrium iodatum, cujus quidem 100 gramm. plus iodinae continent, quam 100 grammat. kalii iodati. Feles, morbo defunctus, 28. Decemb. gr. β natr. iodat., iisdem dosibus eademque forma, primum semel in die; deinde saepius accepit. Etiam tum appetitus deerat, alvi evacuationes crebrae erant. Postquam ei duobus diebus ter in die gr. β natrii iodati praebitum est, per 24 horas 5 fluidae alvi evacuationes, sanguine et pituita admixtis, intercedebant. Hanc dosin tandem etiam continuaturus, dum tractum intestinalem insigniter laesum esse expectari posset, ut, detecto tractu intestinali, quid in eo mutatum esset, observarem. Feles per omne hoc tempus admodum inquietus erat, omnibus motibus sensationes in abdomine dolentes prodebat, quamquam hoc saepius compressum dolere non videbatur, multimodis artibus e carcere effugere conabatur, saeviebat, clamores edebat, omnem cibum oblatum contempnebat. Alvi evacuationum numerus non minuitur, faeces speciem supra expositam exhibent. Urina rubrefacta est, copia ejus exigua, quamquam siti

accrescente. Hoc statu per plures dies permanente, postquam pondus usque ad grammat. 2350,35 decrevit, ex Amylaceis (pane candido lacte et aqua molli) cibis ei paratis est, cujus hoc die paululum comedit. Postero die furor ille cecidit; bestia minus clamabat ac saeviebat, faeces pulti similiores, paulo post majore etiam soliditate, alvi evacuationes minus crebrae erant. His igitur lenioribus symptomatis, postquam in gran. 12 natrii iodati in singulis dies ascendi, eadem Amylaceorum dieta, illum tamen effectum gradum non amplius sum assecutus; quare, quam mihi persuasum esset, interiorem tractum intestinalem laesum non esse, fortasse aliquam tunicae mucosae Hyperaemiam existitisse, quae res sane levior videbatur, de sectione desperabam ac felem e carcere emisi.

Subsequuntur tabulae, urinae et faecium copiam exhibentes.

Tabula urinae a fele B. per 24 horas reddita.

Mensis.	Dies.	Urinae copiae.	Urinae portio.	Residuum siccum.	Residuum omne.	Numerus medius.	Pro millenis grammat. felis.		
Decbr.	8.	230,679	12,090	1,909	34,073	> 22,587	6,159		
	9.	268,839	12,731	0,940	19,844				
	12.	87,599	12,205	1,586	11,383				
	13.	112,639	11,097	1,678	17,071				
	14.	198,809	11,892	1,903	31,814				
	15.	106,729	13,387	2,126	21,337				
	16.	199,335	14,124	2,310	29,393				
	17.	119,299	15,343	2,452	19,065				
	18.	69,795	11,477	1,557	8,252				
	19.	78,339	11,249	2,088	14,541			> 17,029	5,089
	21.	104,079	14,620	1,732	12,337				
	23.	177,937	16,608	1,719	18,528				
	25.	229,589	15,473	0,891	13,220				
	26.	128,319	13,475	1,298	12,360				
	27.	200,435	14,460	1,550	21,485				
	28.	113,235	13,201	1,195	10,250	> 14,736	5,224		
	30.	134,195	16,852	1,690	13,457				
